

**Dissertatio inauguralis medica sistens observationes quasdam circa  
apostema hepatis hepatitidem secutum : quam in Academia Lipsiensi  
gratiosi medicorum ordinis auctoritate praeside D. Friderico  
Schwaegrichen ... pro summis in medicina et chirurgia honoribus rite  
capessendis illustris ictorum ordinis concessu in auditorio iuridico d. IV. m.  
Iunii a. MDCCCXXX. / publice defendet auctor Christianus Guilielmus  
Weber.**

## **Contributors**

Weber, Christian Wilhelm.  
Royal College of Surgeons of England

## **Publication/Creation**

Lipsiae : Literis Staritzii, [1830]

## **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/eac2eeju>

## **Provider**

Royal College of Surgeons

## **License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

S I S T E N S

OBSERVATIONES QVASDAM  
CIRCA APOSTEMA HEPATIS  
HEPATITIDEM SECVTVM.

Q V A M

I N A C A D E M I A L I P S I E N S I

G R A T I O S I M E D I C O R V M O R D I N I S A V C T O R I T A T E

P R A E S I D E

D. F R I D E R I C O S C H W A E G R I C H E N

H I S T O R . N A T V R . P R O F . P V B L . O R D . E T C .

P R O S V M M I S

I N M E D I C I N A E T C H I R V R G I A H O N O R I B V S

R I T E C A P E S S E N D I S

I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S C O N C E S S V

I N A V D I T O R I O I V R I D I C O

D. I V. M. I V N I I A. M D C C C X X X.

P V B L I C E D E F E N D E T

A V C T O R

C H R I S T I A N V S G V I L I E L M V S W E B E R

O E L S N I T Z E N S I S

M E D I C I N A E B A C C A L A V R E V S .

L I P S I A E

L I T E R I S S T A R I T Z I I , T Y P O G R . A C A D E M .

DISTRIBUTED BY AGARWAL'S MEDICAL

EZRATAI

OBSEERVATIONES QAVADAM  
CIRCA VPOSTEMA HEPATIS  
HYPATITIDIN SECANTIS.

三七〇

## CHRISTIANA-GAELICA MEGE

卷之三十一

## P R A E F A T I O.

L E C T V R I S S. P. D. A V C T O R.

Etiam audire ob iusto quilibet illius arbitrio oīni dā  
alioea cōsiderit de hisp. excepit. In p̄m̄ tēr̄ excepit.  
**Q**uum leges atque instituta Academiae Lipsiensis iubeant, ut,  
qui altiorem in arte salutari locum obtinere velit, conscribendo  
et defendendo libello academico ad illum consequendum viam  
sibi pandat: diu profecto anceps haesitavi, quam e tanta  
rerum medicarum copia hunc in finem mihi eligerem.

Qua quidem in deliberatione consilium mihi est obortum,  
argumentum dissertationis meae potius e chirurgia deprome-  
re, et quidem hepatis apostema, quantum pro virium mea-  
rum tenuitate et temporis brevitate fieri posset, tractare con-  
stitui, quum mihi contigerit, ut, iam priusquam in hanc incly-  
tam musarum sedem me contulisse, hunc morbum saepius  
observandi occasio mihi suppeditaretur.

Me omnino non fugiunt difficultates, quae in conscribendo  
et exarando hoc specimine, solemnitatis causa edendo, mihi

opponuntur, et probe sentio, a multis meum consilium vituperatumiri, quod a iuvene, artis medicae minus perito, oblata publice scribendi occasione, talem casum electum et tractatum inveniant, in quo curando multi hucusque non solummodo dissentunt, verum etiam ars nostra ut plurimum inanis redditur. Quapropter etiam ingenue profiteor, a me potius adumbrationem tenuem, quam opus aliquod, omnibus numeris absolutum, exspectari posse.

Ab initio quidem mihi consilium erat, de omnibus fere, quae ad hanc rem spectent, exponere, quid ab antiquissimis inde temporibus de ea censuerint medici, quid repudiaverint aut adiecerint recentiores; sed per breve temporis spatium, quod mihi in hac academia adhuc concessum est et conscientia virium, huic rei non sufficientium, mihi, quominus illud propositum exsequerer, obstiterunt.

Velim, accipias, lector benevolē, humane et indulgenter hocce opusculum admodum imperfectum, non absque insigni verecundia publici iuris a me factum.

## S E C T I O I.

### *Phaenomenologia et Diagnosis.*

**R**esolutionem sicuti in reliquorum organorum, ita quoque in hepatis inflammatione, tam acuta quam chronica, finem esse exoptatissimum, nemo negabit. Hoc autem in primis in organo aliam plerumque viam ingreditur natura; loco enim resolutionis varii saepe exinde proveniunt, qui aut melius aut peius augurium exhibent, morbi secundarii, quorum in hoc libello investigabimus unum, nimirum apostema, seu suppurationem dicti organi.

**Q**ui quidem exitus acutam multo crebrius, quam chronicam iecoris inflammationem sequitur, eiusque non adeo difficilis est diagnosis, si certi sumus, hepatitidem esse prae-  
gressam. Huius autem talem exitum futurum esse, in molli adeo viscere, ubi vasa, inflammatorio sanguine distenta, non possunt sustinere laticis vitalis, vehementius per febrem pro-

pulsi sine ruptura et effusione impetum, ut pus exinde gignatur; omni iure suspicari nobis licebit, ubi in acuta eaque atrociori hepatis phlogosi apta remedia aut neglecta, aut sero, vel frustra applicata fuerint, si causa maior fuerit, si ultra triduum vel ad maximum ad septiduum omnia signa inflammationis manserint, nec ulla conamina naturae ad crisin morbi apparuerint, aut imperfecta solummodo crisis advenerit, aut vehementia morbi quidem remiserit et decreverit, aegrotus vero tamen de anxietate magna adhuc conqueratur, febris, quamvis impetu minori, perduret. Verum autem transitum hepatitidis in suppurationem annuntiant vehementia doloris remissa, sequens pulsatio cum sensu ponderis, parti ante praecipue affectae impositi, horripilationes vagae et febricula illa, quae in dies magis magisque ad hecticam accedit, omnes fere suppurations internas comitans; saepe quoque iam deprehenditur loci tumor, vires sensim sensimque magis decrescunt quam augentur, sudores sequuntur, diarrhoea, sitis aducta est, quae nonnunquam tanta obvenit in hoc morbo, ut vix ac ne vix quidem possit expleri, sicuti multi satis superque testantur. Nec non etiam maxima adest anorexia, et exemplum hominis exstat, qui ita omnes cibos fastidiebat, ut, spatio quindecim dierum transacto, penitus emaciaretur <sup>1)</sup>.

1) LA MOTTE, *Traité compl. de Chir.* Tom. I. p. 318.

Valde autem errabunt, qui arbitrentur, haec symptomata semper perpetua esse et tam luculenta in omni inflammatione hepatis, dein per suppurationem terminata. In occulta inflammatione iecoris ita saepenumero latescit, ut nonnisi post mortem in eadavere dissecto deprehendatur abscessus; id quod multae observationes practicae testantur <sup>2)</sup>.

Interdum complures quoque vomicae in hepate resident, quamvis febris dispareat et aegrotus satis bene sese habeat. Cuiusmodi vomicae multos annos perdurare possunt et tantum post obitum morbus conspectui se prodit. Haud raro etiam dolores usque ad acromion, sensus obtusi brachii dextri, atrociores femorum et crurum, qui arti nostrae pertinaciter resistunt, tales hepatis abscessus indicant. Narrant scriptores, plurimos abscessus hepatis in lobo dextro occurrere et CLARIUS affirmat, se inter centum, unum solummodo in sinistro lobo invenisse. Quod attinet pus in hepate ortum, monendum est, illud rarissime purum, album, aequale, benignum et inodorum apparere, si ut plurimum excipias illos abscessus, qui superficiem huius organi occupant, quamvis SAVIARDVS in profundiori etiam ulcere bonum et album se detexisse, opinetur. Ex fabrica hepatis iam patet, tum fere semper ob copiam multi humoris cruenti et biliosi stagnantis ibi, funestam putredinem

2) MECKEL, *Neues Arch. d. pr. A. Th. I.* p. XXIV.

metuendam esse et longe crebrius occurrere, quam benignam suppurationem.

Ut plurimum autem flavum, fuscum, saepe etiam hepatis colorem prae se fert, imo lividum, nigrum, specillum colore viridi inficiens reperitur cum specifico eoque saepe foetido odore, nec non simile est quandoque faecibus vini etc., unde iam ARETAEVS ait: **Omnino consimilia ex hepatis ulcere promanare solent his, quae a defunctorum corporibus destillant. Quibus hominibns, iam emortuis, saepe ex ore et naribus amurcaria materies prorumpit.**

Quod autem attinet ad eos morbos, quibuscum confundi potest apostema hepatis, omni iure huc referendi sunt complures et organorum vicinorum et hepatis ipsius. Primo omnium nominari potest vesicula fellea, quae, magna bilis copia distenta, fundo ultra limbum costarum prominente, abscessus specie fallere poterit. Id quod eo facilius locum habebit, quoniam saepe post hepatitidem haec vesicula ultra modum dilatatur a contento suo, namque bilis hoc in casu secundum normam secernitur quidem, ductus autem biliferi non satis aperti reperiuntur. Bilis igitur accumulata saepe mirum quantum distendit receptaculum suum. Ipsa durante inflammatione hoc fieri poterit, bilis secretione ob partem inflamatam minus perturbata, ductibus autem excretoriis simul affectis atque obstructis.

Re vera observationes practicae arguunt, saepius felleae vesiculae nimis impletae et prominentis tumorem pro iecinoris abscessu habitum esse. PETITVS, ille celeberrimus Gallorum medicus, inquit, plurium medicorum nec non chirurgorum consensu talem tumorem pro hepatis abscessu habitum esse, ipsique autem provinciam traditam, tumorem pertundendi. Apertis integumentis disparere coepit tumescentia et PETITVS, aliud quodpiam suspicans, abdicavit sua provincia, annuntians, brevi tempore peracto, per anum exituram esse bilem, hucusque in vesica fellea accumulatam et inclusam. Factum est quod dictum; et aegrotus restitutus <sup>3)</sup>). Alio in casu cystis fellea plus quam libram liquidi limpidi, inodori, saporis subsalsi, parum viridis in se complexa est, nec non plures calculos admodum duros. Quamvis complures adhuc huiusmodi casus nobis praesto essent, eos tamen ob metam huic libello praefixam enumerare non potuimus. Nihilominus tamen, si sedulo attendas, signa multa habemus, quibus a tumore vesicae felleae distinguui possit abscessus: suppurationem nimirum comitantur dolor pulsatorius, horrores vagi crebriores et diurniores, febricula, crises non secutae; tumor ab apostemate obortus non adeo limitatum habet ambitum, neque fluctuatio in tali tumore statim ab initio obvenit, et deprehenditur primum tantum in cen-

---

3) Mémoir. de l' Acad. royal. de Chir. T. I. p. 155.

tro tumoris, parvum locum occupans, reliquo ambitu adhuc duro. Patet, tunc tantum hancce distinguendi tales tumores praecipue adesse difficultatem, si resident illo loco, ubi vesica fellea collocata est; alioquin ad abscessum cognoscendum iam latior et securior erit via.

Ceterum etiam cystis fellea, manu pulsante, subito et per omnem suum ambitum fluctuabit, nec ita abscessus.

**G**VATTANI<sup>4)</sup> alium casum adducit, ubi in regione hepatis tumor exortus fluctuans et dein ruptus, ingentem hydatidum copiam emisit.

Porro tumescentia quaedam hypochondrii dextri ab accumulatione puris, in latere pectoris dextro collecti, oboriri potest, quo saepe fit, ut hepar ita perturbetur, ut credas, in primis quum haud raro simul adsit flavus cutis color, anorexia etc. quae quoque hepatis apostema comitari solent, et deficiant pulmonis affecti vestigia, sedem morbi in iecore ipso latere. **P**ORTAL similem casum narrat, ubi sub hac rerum conditione omnis hepatis reperta est integritas.

---

4) Hist. de l'Acad. des Sc. 1767.

21

## S E C T I O N I I.

*Diversi exitus abscessus in hepate nati, a sede varia  
pendentes.*

1. **A**bscessus versus exteriora tumet, sive ortum sit pus in parte gibba sive proveniat ex interioribus, peritonaeum parti inflammatae contiguum adglutinatur et accrescit, externe tumor et fluctuatio deprehenditur, qui si apertus fuerit, appareat pus. Locus autem, quem occupat tale apostema, percipitur in latere dextro seu inter tertiam, quartam, quintamve costam spuriam, vel infra has, vel plus minusve versus scrobiculum cordis, umbilicum, lumbos, vel versus lineam albam, imo circa hancce lineam (**PRINGLE**).

**Q**ui locus, quam celerrime poterit, manum chirurgi expostulat, ut pertundatur, pusque collectum ad faeces usque evacuetur. Pluries iam exinde operatio morbum sanavit. Sed cito, tuto et iucunde fiat; etenim probatum est, pus, quo diutius in loco clauso retineatur, non solummodo continuo augeri, sed etiam eo peius fieri in dies, vicina arrodere et consumere, sanguini admisceri, febrem hepticam et phthisin hepaticam

excitare, quod longe magis obtinebit in hepate, cuius substantia adeo mollis et friabilis est. Vedit vel adeo pus, omni nota bonum et benignum vocitandum, iecoris substantiam depascere posse, DIEMERBROECKIVS<sup>5)</sup> in cadavere, anatomico explorato cultro, ubi hoc viscus ingentis molis fuit, ex quo, licet boni coloris et integrae substantiae esse videretur, evanescavit novem puris albi, probe cocti, non foetidi libras civiles. Complura huiusmodi exempla apud BONETVM exstant<sup>6)</sup>. Quando igitur hoc modo pus retinetur in hepate et hoc viscus a purulenta vomica depascitur, multi morbi iisque deterrimi oboriri possunt, qui partim a pure illo resorpto et in laticis vitalis massam deducto, ibique quasi cacochemiam purulentam lignente, partim etiam ab impeditis illis functionibus, quae a visceris huius vita integra pendent, prodeunt. Novae in vicinia oriuntur inflammations, dolores atrocissimi tam in hepate ipso, quam in vicinis partibus, namque quotidie augetur puris iam collecti copia, quare ingenti quantitate quandoque in iecore est repertum pus, quod distendendo et premendo partes in vicinia positas, multifariam laedere et mala multa adferre poterat. ARETAEV<sup>7)</sup> ad signa hepatis apostema sequentia,

5) Anatom. L. I. c. XIV. p. 65.

6) Anatom. pract. L. III. sect. 17. Tom. II. p. 295.

7) De caus. et sign. morb. diuturniorum. L. I. c. XIII. p. 41.

numerat dolorem simul acutum ad iugulum usque summumque humerum vagantem, diaphragmate etiam et, ipsi contigua, pleura distractis varioque modo laesis. Tali autem ratione totum hepar depasci potest, id quod demonstrat casus, ubi hepatis loco reperiebatur saccus pure impletus. Hic omnes fere hepatis functiones penitus perturbari, satis superque patet; unde quoque icterus pessimus, in primis, ubi apostema tale mole sua premendo impedivit bilis cysticae liberum abitum. Ceterum enim non perpetuum est, sequi icterum hepatis abscessum, et valde est miratus LA MOTTE, in haud parva ie-  
coris vomica ne vestigium quidem icteri occurrisse <sup>8)</sup>.

Monendum autem est, illud apostema ab exteriori laesione ortum esse, tumuisse quoque versus externam hepatis superficiem purique collecto abitum sectione chirurgi concesso sum esse, quare vix adeo comprimere potuit partes vicinas. Anxietas maxima quoque non deest ob detrimentum, quod capit exinde sanguinis circuitus et totus organismus. Accedit porro flatulenta abdominis expansio, tympanitis nuncupata; magna totius corporis debilitas, sitis fere inexplebilis, urina quoque multo modo mutata, saturatissimi et obscuri coloris, imo nigri, haud raro foetida, purulenta, hepatis suppuratione consumti substantiae haud assimilis; nec non desunt sudores ingrati et

---

8) Traité compl. de Chir. T. I. p. 327.

foetidi ac denique diarrhoea saniosa, purulenta. Ut plurimum ultimo tempore, hepate fere iam consumto, putrida, amurcaria sanies per tractum intestinalem ruere poterit, vel et hac resorpta totus sanguis dissolutus et quasi putrefactus, per vasa meseraica et in intestina exire. Qua propter monent scriptores, quod, si faeces male oientes putredinis ad instar per alvum extrudantur, cuncta in peius ruant et brevi post aegrotis multum perpessis vitae finis accedat.

2. Rumpitur apostema, membrana pus coercente vel a concussione, vel magna virium intentione, vel copia vel acrimonia puris ipsius, diu stagnantis, erosa, et purulenta materies in cavum abdominis depletur, praecipue si vomica in concava hepatis parte residet, quamvis hoc etiam fieri possit alio loco, si nimirum pus, abscessu cum aliqua parte vicina concreto, aliam viam invenerit.

Quod si molitur natura, ut plurimum, doloribus cum febre ante auctis, aegrotus subito crepitationem magnamque exinde in abdome sentit mutationem, dum statim dolores, qui prius adfuerunt, evanescunt. Omni fere momento temporis puri in cavo abdominali collecto novum accedit, et tota fere corporis vis in novi puris generationem convertitur. Sequuntur iam animi deliquia, abdomen eo magis inflatur, quo maior puris copia effusa est; unde ascites purulentus exoritur, mentiens tympani-

tidem. Hic exitus fere ad tristissimos refertur, quum omne artis auxilium plurimis in casibus inane reddat.

Mors inevitabilis citius seriusve sequitur secundum maiorem vel minorem puris copiam. Quando enim ob parvam abscessus rupturam sensim sensimque tantum evacuatur, tardius, sin autem subito copia puris admodum magna exit, citius sequitur finis funestus; namque simul sequi poterit haemorrhagia, si venae portae rami maiores, ante ab apostemate compressi, fortasse etiam arrosi a pure acriori diu accumbente, nunc vero pure egresso liberi, a sanguine vehementius irruente rumpi facile poterunt.

3. Materies, in hepate collecta, sive in intestinum quodpiam, cum abscessu per inflammationem concretum, sive in ventriculum, sive per ductus biliferos, exesis finibus, sensim latiores factos, declivi via in duodenum pervenit, nec non inde in ventriculum. Sequuntur talem exitum symptomata vehementissima: nausea, vomitus foetidus, purulentus, albi, cinerei, fusci, flavi, nigri coloris similesque per alvum evacuationes cum tenesmo saepius et summa virium iactura, magna aegroti inquietudine et doloribus interdum atrocioribus. Fauustum quidem est, si tali modo materies illa nociva e corpore evacuatur, saepius tamen, priusquam exit, magna iam hepatis pars consumta est suppuratione, locusque ille ulcerosus neque penitus depurari, neque sanari poterit, quia sine illa per-

fecta evacuatione atque depuratione consolidatio abcessus parietum sequi non poterit. Quod quamvis accidere possit, haud raro per magnam satis hepatis suppurationem tantum de substantia ipsa corrumpitur, ut postea functiones visceris, cuius dignitas in animali oeconomia tanta est, ut sine hoc vita continuari nequeat, vix ac ne vix quidem restitui ad normam possint neque arte nostra, neque vi naturae medicatrice. Hinc per se apparent, prognosin hoc in casu semper esse valde anticipitem, ne dicam infaustam malamque. **TVLPIVS**<sup>9)</sup> iuvenem vidit, cui ob neglectam in initio hepatitidis detractio nem sanguinis, apostema tale exortum erat. Purulenta matieres per alvum exiit et dein quoque per os, et secutus est finis lethalis. Nonnunquam tota hepatis substantia in pus convertitur et per tubum intestinalem expellitur e corpore, ita, ut solum involucrum huius visceris crassius et durius factum supersit, cavum saccum formans, qualia observata apud **BIANCHI**<sup>10)</sup> leguntur. Haud paucis quoque, ulcere tali iam sanato, insequitur hydrops.

Meliorem spem iam concipi posse, ait **ARETAEVS**, si omnia remittantur, pus album, leve, aequale, per intestina educatur, potulenta et esculenta iterum digerantur; id quod annun-

9) Obs. med. L. II. c. XXVII. p. 141.

10) Hist. hepat. part. 2. C. IX. p. 173.

tiat bonam suppurationem cum visceris illius integritate. Ceterum complura exstant exempla apud auctores, quae testantur, exitum ex hac re faustum. Sic DUNCANVS<sup>11)</sup> enarrat casum, ubi sex librae puris foetidissimi per alvum exierunt, aegrotus tamen, tumore hepatis superato, convaluit. Aliud exemplum exhibit THILENIUS (in diario HYFELANDI med. pract. vol. X. 1803 p. 108 sqq.). Iuvenis undeviginti annorum correptus est hepatide; suppuratione terminata, apostema tandem versus interiora in intestina ruptum et evacuatum est, et per noctem unam sex libras puris evomuit aegrotus et non multo post iterum ingentem copiam puris vomitu eiecit, quae antecedentem longe superabat. Diebus sequentibus multum adhuc puris exiit et si hepatis locus in primis affectus premebatur, sentiebat aeger ab illo inde iecinoris loco et per totum tubum intestinalem dolores, pusque sine ipsa tussi provenit in cavum oris. Corpore penitus a pure liberato, post aliquot septimanas convaluit homo. Saepe quoque, quamvis exeat pus, apostematis tamen tumor non collabitur, quando viae ad omnem massam extrudendam angustiores sunt. Ut saltem videtur, pus per ductum choledochum excernitur, sed tantummodo tenuior illius pars, crassiori retenta.

4. Miras facit sibi pus exiturum vias. ADINOLFI comme-

11) Med. comment. V. III.

H. T. edicione ob nulli (21)

morat casum, ubi pus per organa uropoëtica expulsum est. In regione quoque lienis prorupit, nec non umbilici. BAION<sup>12)</sup> hominem observavit, ubi pus secundum peritonaeum ad crura venerat. Orta ibi est fluctuatio et, cultro adhibito, pus foetidum exiit. Aegrotus defunctus atque dissecatus exhibuit hepar maxima ex parte destructum, nec non renem dextrum putredine correptum. Simili ratione pus ad quemcunque fere locum v. c. ad musculum psoam, abdominales etc. ductus sibi parare potest et denique loco remotissimo erumpere. Prognosin hic quoque semper admodum ancipitem esse et plerumque mortem sequuturam, constat.

5. In pectoris cavum et concretum aliquando cum dia phragmate pulmonem effunditur pus.

Si peritonaeo, concavam diaphragmatis partem obducenti convexa iecinoris pars accreverit, sive hepatitide, sive prius iam factum fuerit, abscessus hepatis, illo loco positus, poterit arrodere sua involucra et in cavum pectoris organaque ibi recondita pervenire et phthisin pulmonalem cum sputis purulentis producere. Attamen differre dicunt tale pus ab illo in pulmonibus ipsis nato: illud nimirum faeculentum, saniosum, fuscum, corrodens et odoris foetidi esse.

Complura huius rei habemus observata. Medicum tamen

---

12) Hist. de Cayenne T. II.

hic saepe falli posse, notum est et quoque STALPART VAN DER WYL<sup>13)</sup> miratus est, cum in homine, qui sputa purulenta per pulmones eiiceret, cadavere dissecto, nulla pulmonis affecti signa reperta sint, sed vomica hepatis, diaphragmati in latere dextro adcreta, nec non pulmo in illo loco diaphragmati adnexus, sputa purulenta producens. Inprimis autem BAIONIS<sup>14)</sup> exemplum memoratu dignum videtur. Pus primo per diaphragma in pulmonem, dein autem in intestinum quoddam evacuabatur et aegrotus convaluit.

Ceterum quoque per metastasin puris ex iecinore in pulmones traducti phthisis pulmonalis gigni poterit, sive etiam, si iam vitium quoddam organicum in pulmonibus adfuerit, v. c. tubercula, ab acri sanguinis indole, irritatio, nova inflammatio et denique vera exulceratio fieri.

Quod si accidit, saepe omnia symptomata hepatis ulcerati disparent cum dolore et febre, dum aegrotus pus per os expuit. Pulmones ipsi revera non affecti esse videntur. Sic PLENCIZ observavit in suis obss. med. aegrotum, phthisi pulmonali necatum esse visum; sectio autem cadaveris instituta aliud illum edocuit: pulmones integri fuerunt, ulcere in hepate conspicuo. Nulla, qua exiit pus in pulmones, detecta est via;

13) Obs. rarior. Cent. I. n. 46. p. 202.

14) RICHTER's Chir. Biblioth. V. VI. p. 174.

bronchi vero ventriculusque magnam puris in se continebant copiam. MORAND<sup>15)</sup> insecurit inter costam tertiam et quartam in alio casu, opinans, inventum iri ulcus pulmonis dextri, sed apparuit pus pone pleuram ex hepate prorumpere.

6. Narrant scriptores, pus quoque in venam cavam inferiorem, arrosis huius parietibus in regione hepatis, se effudisse et sanguini admixtum deterrima et non multo post exitia- lia symptomata, animi deliquia, debilitatem maximam, pulsum omni ratione malum, omnium fere corporis functionum perturbationem et tandem mortem improvisam adduxisse. Namque tali modo pus, ad pulmones usque traductum, ibi poterit haerere subitamque suffocationem gignere, aut etiam per totum corpus sanguinis circuitu distribui idque pessime afficere. Quando autem sensim sensimque admiscetur pus in hepatate natum, nondum omni parte malum, sanguini, fortasse inde rursus educi e corpore per urinam, vel per metastasin alias ad loca minus nobilia et periculosa deponi poterit. Sed valde ambigitur, utrum faustum eventum habeat, nec ne; et iam HIPPOCRATES ait, non facile in hoc casu salutarem fieri metastasin. Per urinam tamen saepius elui posse, iam ARETAEVS affirmat: Si vero ad interna repat abscessus, longe medico natura praestat; aut enim ad intestina, aut ad vesicam pus convertet: verum

---

15) RICHTER's Chir. Biblioth. V. I. p. 153.

multo innocentior est ad organa iuropoëtica via; imo optimam hanc crisin annunciat. Si igitur tali in casu metastasis, bona quae dici solet, locum non habuerit, valde metuendum est, ne cacoehymia purulenta cito mortem adducat.

### S E C T I O III.

#### *Pars therapeutica.*

Quando nondum magna puris copia in iecinore collecta est, nec diu hic haesit, nec magna iam visceris huius corruptio reperitur, aliquam spem concipere possumus, fore ut aegrotus morbum snperet; sin autem a pure magna copia retento et depravato iam multum hepatis depastum est, appareat, nostra remedia ad eliminandum tale malum fere nil valere.

Remedia interna sunt eadem, quae in quavis fere interna suppuratione, rationi tamen casus peculiaris accomodata adhiberi solent. Largus sit usus eorum, quae vires organismi refocillant, putredini resistunt, fluida restituunt.

Nutrimentis blandis utatur noster aegrotus, sero lactis cum acido vitrioli parato, aqua Selterana cum lacte vaccino vel alio quoque mixta, lichene Islandico, cortice Peruviano, Farfara, Phellandrio aquatio etc.; sed sine evacuatione puris perfecta membranarum abscessus consolidatio obtineri nequit,

et ocyus serius oritur febris hectica, ex qua diem aegrotus subit supremum.

Nec tutior spes nobis concipietur, si abscessus in cavum abdominale depletur, vel etiam ad pulmones penetrat. Paracentesis quidem institui poterit, attamen spes in angusto est. Idem valet, pure, ductibus biliferis arrosis et ruptis, in ventriculum et reliqua intestina effuso.

Tunc solummodo aliquid sperari potest, ubi apostema felici rerum connexu (nam medicus parum hic valet) in tempore per intestinum aliquod viam sibi aperit, ita ut materies sensim sensimque per os aut alvum deiici possit. Plura huiusmodi exempla, ubi faustum habuit res eventum, supra leguntur. Medici hoc in casu erit officium, ut illas evacuationes adiuvet et quidem remediorum ope, quae diluant, mitigent, putredini resistant purisque acritatem imminuant, vires corroborent; ut denique aptam vivendi rationem aegro praescribat. Plus, imo plurimum ars praestare poterit, si abscessus versus exteriora tendit, cum peritonaeo necessariam pro operatione cohaesionem habet et tumorem, in quo fluctuatio deprehenditur, producit.

Tales abscessus promptissime et priusquam maior iecinoris pars corrupta sit, aperiendi sunt; unde iam ARETAEVS monet: Si extra feratur abscessus, non secari utique malum est, si enim intus moretur pus, ab eo iecur arroditur nullaque mortis dilatio est.

Veteres medici autem, cum metuerent summum profluvii sanguinis periculum, iubebant sectionem ferro candente institui, ut simul et secaret et combureret, atque ita metuendam haemorrhagiam cauterio actuali deleret eodem, quo chirurgus vulnus infligeret, momento. Et HIPPOCRATES inuri iussit. Nihilominus tamen a cultro prudenter adhibito, non tantum extialis haemorrhagiae periculum instare videtur, quia si tales abscessus pertunduntur, cultri apex haeret in sacco pure impleto, quod ad magnam satis distantiam involucrum suum a vasis suppositis removet. Praeterea patet, totum viscus per abscessum purulentum quandoque consumi sine illo sanguinis profluvio secuto, quamvis maxima quoque vasa, sanguinem continentia adsint. Inprimis autem, cum hic periculum in moras sit, elucet, cultrum unctioni antecellere; id quod pluries et quidem a CLARKIO, nec non aliis, SAVIARDO, SCHMVCKERO, HAASEO, TRECOVRTIO, fausto cum exitu factum est. Incisura sit parva ab initio, ne transgrediatur limites adglutinationis peritonaei cum abscessu ipso. CLARKIVS casum aliquem habet, ubi abscessu non cum peritonaeo concreto, pars omenti produci potuit. Sex autem diebus praeterlapsis, peritonaeum cum abscessus toto ambitu cohaerens repertum est.

PET. FRANKIVS vidit in cadavere colon intestinum, cum ad lobi hepatis limbum inferiorem apostema haesisset, a chirurgo, profundam nimis sectionem instituente, magna incisione lae-

sum. Attamen ne nimis tremat chirurgus in sua incisura facienda, ut liber aperiatur puri evacuando exitus.

Cavendum autem est, ne intestinum aut ipse ventriculus daedatur, ne vesicula fellea, saepe bile multa dilatata, pertundatur loco abscessus, quod lethalem habere poterit eventum, quamvis observata non desint, ubi, vesicula fellea laesa, sanatio secuta est; ne aneurysma in regione hepatis, pro abscessu aperiatur.

Apertus nunc abscessus secundum chirurgiae leges, praeципue apto corporis situ, iniectionibus, corticis Peruviani usu etc. consolidandus est. Ne autem credas, uno abscessu aperto, rem esse quovis in casu peractam, legas exempla, ubi complures huiusmodi abscessus reperti sunt, qui omnes sensim sensimque evacuari et sanari potuerunt (ASPER) <sup>16)</sup>. Licet autem multi tales abscessus feliciter consolidati et sanati sint, tamen, cum eventus huius mali periculosi sit anceps, et qualitas et quantitas puris emissi fere tantum docere possit, utrum aegrotus convalescat, nec ne monendum prius est, magnum instare periculum, certamque salutem promitti non posse, ne imprudenter suae famae male consulat medicus.

---

16) RICHTER's Chir. Biblioth. V. N. p. 765 sqq.